

## APPENDIX III

### DISSERTATIO

*de justa Prohibitione et Abolitione Librorum nocuae lectionis, brevi calamo plura continens, quae diffuse ab auctoribus tradita sunt.*

Occasio  
dissertatio-  
nis.

Nuper in duas offendi epistolas calamo exaratas, in quibus saluberrima ac pernecessaria Ecclesiae disciplina circa librorum prohibitionem perperam impetitur; et temere asseritur licitum esse, Ecclesiae lege non obstante, modo evidens non appareat periculum subversionis, libros quoscumque perlegere. — Epistolarum auctores his duabus falsis fulciuntur rationibus: *prima*, quia lex prohibitionis librorum non procul ab hisce temporibus invecta est in Ecclesiam, sed prisca disciplina non comprobatur. *Secunda*, quia Ecclesia in hac re nec canonice procedit, nec recto juris ordine servato; et ideo hujusmodi lex obligare nequit. — Miratus sum quidem, novas hasce opiniones tam perfrecta fronte ab auctoribus epistolarum obtrudi: cum satis compertum sit disciplinam, qua pravorum librorum lectionem Ecclesia prohibet, a primis usque saeculis semper et constantissime viguisse; tum etiam Ecclesiam catholicam, in hujusmodi librorum proscriptione, accurato semper examine, rectoque ordine processisse, et nunc quoque procedere.

Hinc aggressus sum rem hanc funditus ad trutinam revocare: praesertim, cum experimento constet, ex praefatis pravis opinionibus auctoritatem Ecclesiae non minimum labefactari, et fidelium mentes ab obsequio Ecclesiae definitionibus debito valde retrahi; ex quo deinde in alios errores contra fidem et mores misere et de facili incidunt, cum immensa animarum strage. — Ac proinde operae pretium duxi in publicam lucem hanc Dissertationem edere; in qua primum ostendam *necessitatem* prohibendi libros omnes, qui errores in legentes ingerere possunt. Deinde, hanc Ecclesiae legem vetandi libros, ab ejus incunabulis usque nunc *continuato semper usu* firmatam fuisse. Tertio demonstrabimus, quam *prudenter et ordinate* in hujusmodi prohibitione semper Ecclesia processit et procedit. Tandem quorundam confutabimus inanes *objectiones* haereticorum, a quibus postmodum catholici aliqui minus caute effata quaedam sunt mutuati, quae deinde impudenter in vulgus, maxima cum fidelium pernicie, prodiderunt.

Partitio.

## CAPUT I.

## Demonstratur Utilitas ac Necessitas prohibendi Libros noxiae lectionis.

1. - Haereticos homines omni modo et studio evitare, speciale Domini mandatum est, tam in veteri<sup>1</sup>, quam in novo Testamento<sup>2</sup>. Praesertim S. Joannes scripsit (II Joan., 10): *Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis*. Sapienter enim dixit S. Paulus (II Tim. II, 16, 17): *Verba eorum multum proficiunt ad impietatem: et sermo eorum ut cancer serpit*.

Hinc Joannes maxime satagit se cavere ab Ebione; horruitque adhuc balneum, quo Cerinthus usus fuerat. Vide Baronium<sup>3</sup>. — Eodem modo se gessit Polycarpus cum Marcione<sup>4</sup>. Eusebius Vercellensis potius fame destituit patiebatur, quam ex Ariatorum manibus panem accipere. Apud Baron.<sup>5</sup> S. Cyprianus<sup>6</sup>, loquens de quibusdam excommunicatis, sic oves suas commonuit: *Ne fallacibus verbis consensum facile commodetis, ne pro luce tenebras..., venenum pro remedio, mortem pro salute sumatis... Procul ab hujusmodi hominum contagione discedite, et sermones eorum, velut cancer et pestem fugiendo, vitate*. — Porro, quod ab omni cum haereticis et excommunicatis commercio fideles absternerent, semper in Ecclesia custoditum fuit; ut testantur S. Ephrem<sup>7</sup>, Alexander Alexandrinus<sup>8</sup>, S. Athanasius<sup>9</sup>, S. Leo<sup>10</sup>, et sic pariter concilia, Pontifices et Patres omnes.

2. - Si igitur pravum collocutorem devitare tam instanter ab Ecclesia semper praeceptum fuit; quanto magis se cavere oportebit a libro pernicioso, qui valde plus quam sermo potest lectores

corrumpere? Si verbum quod statim avolat, serpit ut cancer, et ad mortem vulnerat; quid mali non afferet liber improbus, qui potest evadere perpetuus fons subversionis? Nefarius liber quascumque potest penetrare domos, ad quas auctor nunquam forte aditum posset habere. — Si religio et publica quies consistere non possent, ubi perversi homines permitterentur prava dogmata evulgare, aut perniciosas ingerere opiniones contra receptas morum regulas, ut dicitur<sup>a)</sup> in I. *Congruit*, ff. *de off. praesid.*; quanto minus salva consistere valebunt, ubi hujusmodi nebulones permitterentur eadem latius disseminare scriptis, ipsaque comprobare captiosius argumentis, quae longe magis perlecta, quam audita nocent? Quicquid enim legimus, mentem validius occupat, ac facilius ad cor pertransit. Sicut sancta lectio virtutes fovet, sic contra, lectio prava ad vitia impellit; et fortius impellit, cum ad vitia procliviores sint homines, quam ad virtutes. Bene S. Basilius libros appellavit *cibum animarum*; quia, sicut cibus delectabiliter ingreditur in hominem, et deinde fit proprius hominis sanguis; sic liber, cum legitur, delectabiliter legitur (quis enim leget invitus?), et sic de facili fieri solet res propria lectoris. — Praeterea, qui ad auctorem legendum accedit, illi pene discipulum se tradit, ipsique cor docile et benevolum offert, et ideo facile ab illo decipi potest; valde enim difficile est, quod lector aliquo amore erga auctorem illum non afficiatur: ex quo deinde facile eveniet, ut impietas et error latens hau-

<sup>1</sup> Deuter. XIII, 6 et seqq. — <sup>2</sup> Rom XVI, 17; Tit. III, 10. — <sup>3</sup> Annal., ad ann. 74, n. 8 et 9. — <sup>4</sup> Euseb., Histor. eccles., lib. 4, cap. 14. — <sup>5</sup> Annal., ad ann. 356, n. 96. —

<sup>6</sup> Epist. 40, ad plebem, etc., n. 4 et 5. — <sup>7</sup> De Virtute, cap. 8. — <sup>8</sup> Epist. ad Alexand. Constantinop., 13. — <sup>9</sup> Vita S. Anton., n. 68. — <sup>10</sup> Serm. 16, de Jejun., cap. 5.

2. - <sup>a)</sup> In lege *Congruit*, quam S. Alphonsus hic allegat, haec sancuntur: «*Congruit bono et gravi praesidi curare ut pacata atque quieta provincia sit quam regit; quod*

non difficile obtinebit, si sollicitè agat ut malis hominibus provincia careat eosque conquirat: nam et sacrilegos, latrones, plagiaros, fures conquirere debet».

riatur insensibiliter, et tenaciter postea retineatur.

Scriptores  
impii vene-  
num dissi-  
mulant.

3. - Adde quod impii scriptores magno quidem studio errores suos ita ornant et colorant, ut non solum simplices, sed etiam docti decipiantur. Illos enim nunquam (saltem sub initio) aperte produnt; sed eos variis speciosis rationibus, eruditionibus ac leporibus vestiunt et liniunt, sicque lethale venenum ingerunt. — Quandoque sanctitatem ac zelum praeseferunt, sollicitudinem de publico bono affectant, canonesque perfectionis tradunt; sed latet anguis in herba. Spectabis eos innumeras Scripturae et Patrum sententias et exempla afferre; sed cuncta, vel adulterata, vel perperam interpretata. Ita haeretici decipere plures consueverunt, scientes, foetores suos nulli cito fore placituros, si nudi exhalentur; et ideo illos coelestibus eloquiis, velut quibusdam aromatibus condiunt, ut alii impietates horrentes, divina non facile oracula contemnunt. Hinc Salvator clamabat: *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces* (Matth. VII, 15). Quid est *vestitus ovium*, nisi simulatio pietatis, qua captiosi scriptores callide se induunt? Quid *lupi rapaces*, nisi sensus haereticorum, qui gregem Christi dilaniant? Vide (inquit Origenes), *ne te decipiat fulgor operis, ne te rapiat sermonis aurei pulcritudo*. Pariter ait S. Gregorius<sup>1</sup>: *Haeretici permiscunt perversa, ut, ostendendo bona, auditores sibi attrahant; et exhibendo mala, latentis eos peste corrumpant*.

4. - Sed valde refert hic afferre verba cujusdam docti haeretici, Abraham Le Moine, qui, loquens de pluribus libris in Anglia editis atheismum sapientibus, sic ait<sup>a)</sup>: *Libri hujusmodi, cum incidissent in manus gentis innumerae, malum peperere infinitum. Et eo magis, quo prima facie exornati apparent ex fine et ratione laudabili. Contra incredulitatem, quae se*

Origen., in libr. Jesu Nave, homil. 7, n. 7. — <sup>1</sup> Moral.,

*palam prodit, quisque se vertit. Sed auctores isti Angli, sub specie deferendi evangelicam veritatem, difficultatibus suis ejusdem fundamenta submovent, ac principia diruunt, nihilque omitunt, quo ejusdem argumenta reddant valde suspecta. Virus evomunt, eo magis lethale, quo subtilius et magis abditum. Diu inde dementati homines bibunt; nihil autem ibi vident, quia nihil suspicantur. Vellicationes etiam ac eruditiones miscunt, ut melius visco obliant. Et quoniam delectat novitas, et exigua est religionis instructio, inclinatio vero ad pravitatem nimia; non est mirum, si libri hujusmodi spiritum ac corda pervertant illorum qui incaute perlegunt. Sermo incredulorum ferit: lectores implicentur, egrediantur scrupuli, et tandem fiunt increduli inopinato. Effraena inde mentis libertas immoderatam necessario, ac irresistibilem creat cordis licentiam; haec passionibus indulget, ac vitiorum dilatat imperium. Hinc vere dici potest, magnam hanc civitatem (nempe Londinum) nunquam eo magis fuisse depravatam sicut est hodie. Et quidem pene status omnes Europaei et regna nimis infeliciter conspiciuntur infecta; sed essent absque dubio amplius, si esset in illis libertas, quae in nobis est cogitandi, scribendi ac legendi.*

Hactenus ille. Quippe hujus haeretici querela praefata et exclamatio, vel sola sufficit ad ostendendum, quam sit necessarium ad religionem et publicam pacem fovendam, libros perniciosos interdicere. — Atque utinam falsum esset illud, quod praefatus auctor ultimo loco asserit, nempe, etiam apud catholicos pestem atheismi plures infecisse! Et hoc cui tribuendum, nisi damnatorum librorum improbae lectioni? Alii quoque Angli, cum haeretico relato, de suae gentis communi contagione fortiter conqueruntur; sed interim minime curant exitiosam scribendi et legendi libertatem comprimere. Tempore quo Anglia Romanae Ecclesiae obtemperabat,

lib. 5, cap. 11, n. 28.

4. - <sup>a)</sup> Textum hunc, quem S. Alphonsus dicit excerptum ex *Traductione trium epistolarum pastoralium episcopi Londinensis, ann. 1750*, nusquam reperire potui, nisi apud Zaccaria, *Storia polemica delle proibizioni*

*de' libri, lib. 2, diss. 1, cap. 4, n. 8*. Quaedam tamen, his similia, licet non adeo explicita, habentur in traductione epistolae pastoralis pseudo episcopi Londinensis, typis impressa Londini, anno 1729.

nulli quidem ibi lugebantur increduli, nulli athei, deistae, vel latitudinarii nulli: eo quod nulli ibi edebantur, et nulli legebantur qui talia docerent libri.

5. - Nunc praestat id exemplis confirmare. - Testatur B. Dionysius Alexandrinus, apud Baronium <sup>a)</sup>, libros noxios Nepotis, episcopi in partes Kiliastarum, pene medium adduxisse Orientem. - Bardesanes Syrus in Mesopotamia, ad fidem jam conversus, ita olim fuit pietate conspicuus, ac sollicitus in exagitandis haereticis voce et scriptis, ut catholicis admirationi haberetur. Sed ubi Valentinianorum quaedam volumina legit, non tantum eorum subscripsit erroribus, sed alia atrociora paradoxa finxit, et sic innumeros homines seduxit (Vide Ephraim Chambers <sup>1)</sup>). - Idem testatur S. Hieronymus <sup>b)</sup>, quod Hispania et Lusitania non contaminatae fuerunt, nisi cum ibi libri Priscillianorum fuerunt vulgati. - Pariter S. Turribius, in suis ad Idacium, Ceponium et B. Leonem epistolis <sup>c)</sup>, corruptionem Iberiae et Galliae Narbonensis deplorat, ob quosdam nefarios libros, quos unicam dicebat causam fuisse tantae stragis. - Eutyches, invictus antea fidei defensor, ad unam lectionem libri cujusdam Manichaei <sup>d)</sup>, mutatus est in infandum caput innumerabilium haereticorum (Vide Anastasium Sinaitam). Postea ille, in monasterio detentus, mutire coactus est; sed ejus scripta, ipsius silentio non obstante, ad Orientem corrumpendum progredi non

<sup>1</sup> Dizionar. univers., v. *Bardesanisti*. - <sup>2</sup> Viae dux advers. Acephalos, cap. 14. - <sup>3</sup> Ad ann. 414, n. 10 et 11. - <sup>4</sup> Ladvoat, Dizionar. portat, v. *Bullinger*. - <sup>5</sup> Historia

5. - <sup>a)</sup> S. Dionysius Alexandrinus, ap. Baronium, ad annum 264, n. 5, dicit falsum dogma (ex libro Nepotis) in lucem prodixisse, « sic ut non modo schismata nascerentur, sed integrae ecclesiae a fide deficerent ».

<sup>b)</sup> S. Hieronymus, in *Isaiam*, lib. 17, cap. 64, v. 4 et 5, dicit multas mulierculas in Hispania et Lusitania deceptas fuisse lectione librorum apocryphorum, « ut Basilidis, Balsami atque Thesauri, Barbelonius quoque et Leusiborae ac reliquorum nominum portenta susciperent ».

<sup>c)</sup> Ita sane res a Zaccaria, *Storia polemica delle proibizioni dei libri*, lib. 2, diss. 1, cap. 4, n. 5, narratur; sed epistola S. Turribii Asturicensis ad Idacium tantum et Ceponium

cessarunt. - Julianus Halicarnassaeus, in Caria, ex lectione librorum Valentini <sup>e)</sup>, a fide similiter misere defecit (Anastasius <sup>2)</sup>). - Sic et Avitus, presbyter Hispanus, legendo scripta Origenis, quamvis simul legeret ipsorum confutationem, et per Hieronymum admonitus fuisset ab erroribus se cavere, virus tamen, rejecta monitione, lethaliter absorbit. Baronius <sup>3)</sup>.

Luctuosius Henricus Bullingerus, doctor catholicus, olim piissimus, imo perfectionis cupidus, mox ad Carthusianos ingressurus, in librum incidit Melanchtonis; a cujus lectione licet divina voce interius exterritus <sup>f)</sup>, tamen ad legendum a daemone impulsus, legit et cecidit: sicque, ex probo Dei ministro, infelix minister Satanae evasit <sup>4)</sup>. - Hieronymus Wicleff, post multos improbos suos labores in Anglia editos, donec ore docuerit, nihil pene nisi impropria reportavit, et paucissimos fecit sui erroris sectarios; at ubi nefarios suos libros diffudit, totam, quam nunquam vidit, Bohemiam perdidit, potumque venenatum et aliis tradidit. Cum enim Joannes ab Hus Wicleffi libros a quodam Bohemo, qui Oxoniae studuerat, acceperit, eorumdem impiam doctrinam undique disseminavit (Cochleus <sup>5)</sup>. Vide etiam Bon. Blanciotti <sup>6)</sup>.

Omittimus, ne longiores simus, alia similia exempla, quae in historiis passim inveniuntur. - Caeterum eruditus cunctis patet, novas haereses fere semper exhau-

Hussitarum, lib. 1, pag. 7 et seqq. - <sup>2</sup> Nota c ad doctrinam 6 Wicleffitarum, apud Thomam Waldensem, tom. 1, fol. 19.

scripta est, et reperitur inter S. Leonis epistolae. Neque ibi sermo videtur esse de Gallia Narbonensi, sed de Gallicia, ut ex epist. 14 S. Leonis colligendum videtur.

<sup>d)</sup> Res pariter ita refertur a Zaccaria, *loc. cit.*; sed Anastasius Sinaita, in opere cui titulus *Viae dux adversus Acephalos*, cap. 6 et 14; non de unius libri lectione loquitur, sed de lectione librorum Manichaeorum, Valentinianorum, Marcionitarum et Arianorum, quibus inspectis depravatum esse Eutychem affirmat.

<sup>e)</sup> Manetis et aliorum, ut dicit Anastasius.

<sup>f)</sup> Ladvoat non dicit Bullingerum a lectione Melanchtonis, divina interiorique voce deterritum fuisse. Id tamen habetur apud Zaccaria, *op. et loc. cit.*, n. 6.

stas et exscriptas fuisse ex libris aliorum veterum haereticorum.

6. - Hinc concilia, Pontifices ac pii principes, et calamo et voce, et censuris et aliis poenis, toti fuerunt ad extirpandos libros, qui fidem aut mores quoquomodo inficere potuissent. - Hinc Patres in suis scriptis magnopere sunt conati avertere fideles ab hujusmodi librorum lectione. Origenes <sup>1)</sup> eos, qui libros impudicos aut impios injuste revolvunt, ejusdem culpae asseruit reos, quam qui carnes falsis numinibus oblatas manducarent. S. Isidorus <sup>2)</sup> scripsit: impia scripta legere idem est ac thus immolare diabolo; addiditque, non licere christianis legere figmenta poetarum, quia per illa mens ad libidinem incensa excitatur. S. Hieronymus <sup>a)</sup> ait: *Nemo in perforatam intrat cymbam, ut discat vitare naufragium; et ad haeresibus plenum volumen animam diriges immunem doli, ut ibi discas catholicam veritatem?* Fortius Tertullianus <sup>3)</sup>: *Nemo inde strui potest, unde destruitur: nemo ab eo illuminatur, a quo contenebratur.*

Etiam impius Lutherus librum edidit de abolendis scriptis pravae doctrinae.

<sup>1</sup> In Numer., homil. 20, num. 3. - <sup>2</sup> Can. *Ideo* 15, dist. 37. - <sup>3</sup> De Praescript., capit. 12. - <sup>4</sup> De Libert.

6. - <sup>a)</sup> S. Alphonsus hic allegat epistolam S. Hieronymi ad Laetam; sed ibi non reperitur allegatus textus.

<sup>b)</sup> Sleidanus, de *Statu relig. et reipubl.*, lib. 2, *commentar.*, sub *fin.*, narrat Lutherum jussisse libros juris pontificii comburendos, et subdit: « Editio scripto, sui facti rationem exponit, suaque voluntate, consilio et opera pontificios libros esse crematos profitetur; his nimirum de causis: 1° vetustum esse morem et singulis temporibus observatum, ut mali et perniciosi libri flammis aboleantur, ejusque rei testimonium in Actis Apostolorum extare ». Et re quidem vera Lutherus haec asseruit in libello quod inscripsit: *Quare Pontificis Romani et discipulorum ejus libri a Doctore M. Luthero combusti sunt?*

7. - <sup>a)</sup> Bodinus, *Démonomanie des sorciers*, lib. 2, cap. 2, hic allegatur ex Braschio, de *Libert. Eccles.*, tom. 3, cap. 26; sed revera loquitur de rege Ezechia, qui librum Salomonis de vi et proprietate animantium, plantarum, etc. ex professo tractantem, e medio sustulit ac fecit flammis exuri. At idem Braschius factum regis Joakim adducit ut

S. ALPHONSI, *Opera moralia*. - Tom. I.

Vide Sleidanum <sup>b)</sup>. - Calvinus pariter ejulabat adversus malos libros. Braschius <sup>4)</sup>. Notum est etiam, libros Michaelis Serveti anno 1553, una cum impio auctore, Genevae fuisse, Calvino instante, concrematis.

Ipsi gentiles, sola duce ratione aut experientia, idem de malis scriptis extirpandis iudicium protulerunt. - Plato hinc necessarium duxit, ut libri, priusquam ad alios pertranseant, sapientum examini subjiciantur.

7. - Quippe apud omnes nationes cultas, mos abolendi libros noxiae lectionis semper invaluit. Apud Hebraeos, Joakim, cum per Baruch librum accepisset a Jeremia transmissum, timens ne Judaeis scandalo esset, ignibus dari jussit. Vide Bodinum <sup>a)</sup>. Rex etiam Herodes omnes Hebraicarum originum codices cremari voluit, utpote paci publicae adversos. Eusebius <sup>b)</sup>. - Apud Syros, Antiochus Epiphanes publico edicto praecipit, libros Hebraeorum comburendos. Joseph Hebraeus <sup>c)</sup>. - Apud Athenienses, Protagoras ex senatusconsulto undique exterminatus est, ejusque scripta publice igni tradita; quia in illis de existentia deorum

Eccles., tom. 3, capit. 26, num. 5. - Plato, de *Republ.*, dial. 2, v. f.

S. Alphonsus enarrat; Josephus tamen, in suis *Antiquitat. Judaic.*, lib. 10, cap. 8, id refert diverso modo accidisse, cum Braschio in eo consentiens, quod dicit librum ab irato rege diruptum esse et igne crematum. Cfr. etiam *Jer.*, cap. 36, per totum.

<sup>b)</sup> Factum Herodis ex Braschio, *loc. cit.*, a S. Alphonso exscriptum est; Eusebius tamen, ex quo Braschius historiam hanc desumpsit, aliter rem narrat: « Herodes (ita ille *Histor. eccl.*, lib. 1, cap. 7), priscas illas Israelitarum familias nihil ad se pertinere intelligens, ignobilitatis suae conscientia stimulatus, omnia illa veterum familiarum monumenta concremavit: ratus se tum demum nobilem visum iri, cum nemo esset, qui ex publicis monumentis originem generis sui, vel ad patriarchas vel ad proselytos, vel ad permixtos Israelitis peregrinos, qui *γείωποι* dicuntur, posset referre ».

<sup>c)</sup> Josephus, *Antiquit. Judaic.*, lib. 12, cap. 7, scribit: « Et si apud aliquem volumen inveniuntur fuisset sacrum aut lex, et is quoque crudeli sorte moriebatur ». At *I, Machab. 1*, 59 addit: « Et libros legis Dei combusserunt igni, scindentes eos ».

Patres avertunt fideles a pravis libris.

Quin etiam haeretici.

et gentiles.

Apud nationes mos abolendi libros noxios.

dubitabatur. Cicero <sup>1</sup> et Lactantius <sup>2</sup>. — Apud Graecos, pariter concremati fuerunt libri Epicuri. Erasmus <sup>3</sup>.

Apud Romanos, cum quidam bubulcus aratrum trajiciens, in arcula sepulchrali, Numae volumina reperisset, ubi Numa de cultu deorum non bene (licet vere) sentiebat, senatus jussit illa igni tradi. Valerius Maximus <sup>4</sup> et Plinius <sup>5</sup>, Marcus Aemilius, certior factus de multitudine librorum qui Romam intromittebantur, jussit ore praeconis omnia concremanda scripta, ubi novi ritus et preces continebantur <sup>6</sup>. Testatur Arnobius <sup>4</sup> apud Baronium <sup>5</sup>, Romanos petiisse extirpari libros Ciceronis de *Natura deorum*, ubi Cicero de ipsorum religione patenter male sentire jam videbatur. — Plura item Romana jura habentur, ubi jubetur exterminandos libros improbae lectionis <sup>6</sup>. Praeterea testatur Livius <sup>7</sup>, apud Romanos pontifici maximo demandatum esse, de scriptis cognoscere, eosque damnare et comburere. Item Imperator Augustus supra duo millia combussit libros, ubi nullus auctor, vel parum idoneus legebatur. Suetonius <sup>8</sup> et Nicephorus <sup>9</sup>. Idemque Caesar cavet, ne legeretur liber de *Arte amandi*; ejusque auctorem Ovidium in exilium misit.

8. — Et hic maxime advertendum, quod multo studio episcopi et parochi curare debent, ut removeantur a suis ovibus libri obsceni aut de vitioso amore tra-

ctantes: quos sapienter vocat Origenes: calices Babylonis, venena propinantes; et S. Augustinus <sup>10</sup>: ranas ascendentes de ore bestiae. — Etiam gentiles hujusmodi putida scripta execrabantur. Plato ajebat impudicos libros omnino a civitatibus arceandos. Apud Lacedaemones et per totum Spartanorum dominium, vetitum fuit legere ac retinere libros Archilochi; eo quod obscoenum quid continebant. Valerius Maximus <sup>9</sup>. Fama est, ut tradit quidam auctor, Beyerlinck <sup>b)</sup>, Virgilium opus suum, propter confictam Didonis impudicitiam, praecepisse, jam morti proximum, in ignem injici.

Plures hujus farinae libelli, dicti romanenses (vulgo *romansi*), undique hodie per domos circumferuntur, et per manus simplicium adolescentium circumeunt. Horum romanensium primus inventor fuit Heliodorus, Phoenix, episcopus Tricensis in Thessalia, ut enarrat Nicephorus <sup>10</sup>. Hic, cum talem romanensem tempore suae juventutis inscripsisset, cujus lectio facile poterat juvenes impellere ad exitiosos amores, synodus provincialis, cognito hoc periculo, eam Heliodoro imposuit conditionem, ut vel opus suum traderet flammis, vel episcopatu renuntiaret; at ille maluit suae dignitati cedere, quam opus suum destruere.

9. — Hujusmodi romanenses non sunt quidem universe damnati de jure ecclesiastico; nam in *Indice* <sup>11</sup> tantum damnan-

*cumque* 8, § ult., C. de haeret. et Manich. — <sup>7</sup> Lib. 6, cap. 1; cfr. ix, 46, et lib. 39, 16 (edit. Taurin.). — <sup>8</sup> In Octav. August., cap. 81. — *Origen.*, in Jerem., homil. 21, n. 7 et seq. — *Plato*, de Republ., dialog. 2 et 10. — <sup>9</sup> Lib. 6, cap. 8, extern. 1. — <sup>10</sup> Eccles. Hist., lib. 12, cap. 34. — <sup>11</sup> Reg. vii; cfr. et Constit. *Officiorum*, cap. 14, n. 9.

Inventor romanensium.

Romanenses periculosi et damnati.

<sup>d)</sup> Res ista diversimode a Plinio, *Histor. nat.*, lib. 13, n. 27 (al. 13); et a Valerio Maximo, *Memorabil. lib. 1, cap. 1, n. 12*, narratur; uterque tamen in eo consentit quod volumina illa igni tradita sunt, ex eo quod (apud Valer. Maxim.) religionem evertere viderentur.

<sup>e)</sup> T. Livius, *decad. 3, lib. 5*, his verbis rem narrat: « Edixit [M. Aemilius praetor], ut quicumque libros vaticinos precatationesve aut artem sacrificandi conscriptam haberet, eos libros omnes literasque ad se ante kalen. Aprilis deferret, neve quis in publico sacrove loco novo aut externo ritu sacrificaret ».

<sup>f)</sup> Apud Nicephorum, *Eccles. hist.*, lib. 12, cap. 34, id reperire nequivi.

8. — <sup>a)</sup> Haec habentur in *Serm. 20, n. 2*, qui inter supposititia Augustini opera recensetur (Migne, Patrol. lat., tom. 39, col. 1781), et his quidem verbis: « Secunda vero plaga, in qua inducuntur ranas, indicari figuraliter arbitror carmina poetarum, qui inani quadam et inflata modulatione velut ranarum sonis et cantibus, mundo huic deceptionis fabulas intulerunt ».

<sup>b)</sup> Beyerlinck, in suo *Theatro mundi, v. Liber*, § *Obscoeni, amatorii*, haec scribit non assertive, sed dubitative: « Virgilius, inquit,

tur libri, qui res lascivas seu obscenas ex professo tractant, narrant aut docent. Tamen, de jure naturali, ut optime advertit quidam doctus auctor, Continuator Tournely <sup>1</sup>, saepe sunt per se vetiti propter grave damnum quod legentibus inferunt; in ipsis enim virus, quanto minus patet, tanto magis nocet. — Scribit de hujusmodi libellis Alexander Tassoni <sup>2</sup>: *Col leggere accidenti e stratagemmi amorosi e libri lascivi, e particolarmente nelle solitudini e negli ozi che richieggono le lettere, si appresentano fantasmi osceni e pensieri e voglie di cose illecite, sotto apparenza di gusto e di diletto, e l'ingegno sagace vi si abbandona sopra*. Porro ipsi non apertae impudicitiae scitent; sed animum ad profanos amores mirabiliter incendiando, illum obtenebrant, a Deo alienant et vehementer ad malum inclinant; ita ut, occasione oblata, homo facile in infandas libidines ruat, et pertinacius in ipsis deinde perseveret.

Et insuper hic notandum, quod saepius patresfamilias rei sunt de hoc damno: quia ipsi tenentur eripere hos improbos libellos e manibus filiorum; et si non faciunt, intelligant se non posse a culpa excusari. Et minime deinde querantur, si filii utilia studia negligant et despiciant, quia ipsi, delectabili illi romanensium lectioni assuescendo, alios proficuos libros legere postea fastidiunt et horrent; et sic remanent rudes, et vitiosi evadunt. — Joannes Gersonius, scribens contra quemdam romanensem, inscriptum de *Rosa*, damnationem affert Caesaris Augusti libri Ovidii, deinde exclamat: *Oh Deus!... oh praesentis temporis mores! Inter paganos, paganus judex et incredulus paganus condemnat, qui doctrinam scribit,*

<sup>1</sup> De Decal., cap. 1, art. 1, punct. 3, § 2, concl. 2. — <sup>2</sup> Pensieri diversi, lib. 7, cap. 11, v. *Che simultemente*. — Gersonius, tract. contra Romant. de *Rosa*. — <sup>3</sup> Tuscul. disput.

moriturus mandavit exuri suum carmen, fortassis propter confictam Didonis impudicitiam; licet amici ne id facere interesserint ».

10. — <sup>a)</sup> Bayle, in suo *Dictionn. histor.*, v. *Guarini Baptiste*, nota C, loquitur quidem de opere inscripto *Pastor fidus*, et ibi adducit aliquem dicentem illud opus parum fortasse

quae ad fatuum alliciebat amorem; et inter christianos et per christianos tale aut pejus opus sustinetur, laudatur, defenditur!

10. — Similis farinae est liber inscriptus *Pastor fidus* (hodie jam merito expresse damnatus); cujus non defuit quidam insipientis, ut refert Petrus Bayle <sup>a)</sup>, qui tutelam hujus perniciosi libelli assumpsit inapte dicens, nihil damni eum allaturum, si puellae a se repellant amasios. — Sed bene idem Bayle, licet vir impius et sine fide, sic defensorem illum insulsum exprobrat (ejus verba e gallico idiomate ad latinum transferimus): *Responsio haec sophistica est; nam ipsa conditionem exigit, quam liber idem difficillimam reddit. Duas tu res requiris: ut tuum legamus opus, et ut amasios repellamus. Si haec duo simul requiris, injustus es, quia idem nostrum poema vim repellendi nobis auferit. Illud porro amoribus nos implet, concupiscentiam accendit, mentem deturbat: illud ad amasiorum praesentiam expectendam nos violenter impellit... Sed dato quod eos repelleremus, nonne propter hujusmodi narrationes, multis impuris passionibus expositae ac excitatae misere inveniremur? Et deinde prosequitur Bayle ad exhortandum, quod haec librorum genera undique et omnino aboleantur.*

11. — Scripsit Cicero <sup>b)</sup>: *Videsne, poetae quid mali adferant?... molliunt animos nostros... nervos omnes virtutis elidunt*. Hinc Quintilianus <sup>4</sup> prohibuit, ne unquam libri Horatii et aliorum similium poetarum pueris explicentur; et S. Hieronymus dixit <sup>5</sup>: *Daemonum cibus est carmina poetarum*. Ipse Lutherus, quamvis moribus foedissimus, scripsit: *Necessarium est ut libri Juvenalis, Martialis,*

lib. 2, cap. 11. — <sup>4</sup> De Institut. orator., lib. 1, cap. 8, n. 6. — <sup>5</sup> Epist. 21, ad Damas., n. 13; Migne, Patrol. lat., tom. 22, col. 385.

Poetae gentiles vitandi.

*Catulli et Priapeia Virgilii ex omnibus locis et scholis exterminantur; quia tam turpia et obscena scribunt, ut sine magno detrimento juventutis non possint legi*<sup>1</sup>. — Similis, imo perniciosior est liber pestiferus Boccacii (adhuc ille, qui expurgatus dicitur et circumfertur); qui, meo sensu, plus juvenibus nocere potest, quam opera Lutheri et Calvinii.

At ibi, proferunt aliqui, selectum idioma dicitur; et plura adsunt, quae ad bonos mores instruunt. — Sed bene respondet huic Joannes Gersonius, scribens adversus romantium *de Rosa: Suntne, quaeso, propterea mala in eo deleta? Ignis est periculosior. Hamus nocet pisci, si coopertus sit esca. Gladius unctus melle feritne minus?* Subdit sapienter Gretserus<sup>2</sup>: *Ad haec bona illa qualiacumque pura, integra et sincera, in catholicorum scriptorum libris reperies; quid ergo opus divertere ad... lutulentos illos rivos? Quis non libentius aquam limpida bibat, quam veneno tinctam, licet veneni segregandi non sit ignarus? Saltem enim periculo exitii et labore sejungendi caret, quisquis aquas omnis contagionis experies bibit.* — Scripsit etiam S. Augustinus adversus legentes Terentium, ut verba addiscant<sup>3</sup>: *Non omnino, per hanc turpitudinem, verba ista commodius discuntur; sed per haec verba, turpitudine ista confidentius perpetratur. Non accuso verba..., sed vinum erroris, quod in eis nobis propinabatur.*

12. - Sed ad nostrum propositum redeamus; et concludamus ex omnibus di-

ctis constare, quod ipsius naturae iudicium sit, libros illos qui religioni aut bonis moribus officiant, omni modo extirandos, ut theologi omnes docent; imo addunt, ne cum licentia quidem Pontificis<sup>a)</sup>, lectionem permitti posse illius libri, qui subversionis occasio alicui esse posset. Jue- nin<sup>4</sup>, Continuator Tournely<sup>5</sup>, Graveson<sup>6</sup>, Busenbaum (vide infra, *Lib. II, n. 19, ad 6*), Habert<sup>7</sup>. Subdit autem doctissimus Silvius apud Contin. Tournely<sup>b)</sup>, neminem posse haereticorum opera legere sine proximo periculo gravis damni, nisi tribus saltem quatuorve annis theologiae operam dederit. — Si igitur gentes, ut supra vidimus, ad ipsarum falsam religionem conservandam, libros adversantes aboleri necesse putarunt; quanto magis Ecclesia incumbere debet, ut veram religionem illaesam custodiat? *Necesse est, dixit Theodosius<sup>c)</sup>, ut quae scripta vel Deum accendunt ad iracundiam, vel animos hominum in perniciem et fraudem impellunt, ad nullius aures perveniant.* Et Marcianus<sup>8</sup> dixit: *Materia subtrahatur erroris, si peccatorum et doctor defuerit, et auditor.* Et: *Facinorosae perversitatis vestigia flammis combusta depereant.* Item Carolus V, sapienter sic protulit<sup>9</sup>: *Si optimi quique cibi unius tantum guttae veneni, qua humanum corpus laederetur, infusione suspecti, sunt omnino abjiciendi; quanto magis ea scripta, quae tantis et tam noxiis animabus venenis passim infecta sunt, non solum nobis cavenda sunt, sed etiam, ne aliis noceant, ab omnium hominum memoria veniunt obliteranda?*

<sup>1</sup> Serm. convivial., tit. de Authoribus. - *Gersonius*, tract. contra Romant. *de Rosa*, v. *Si dicatis*. — <sup>2</sup> De Jure et more prohib. etc. libros haeret. etc., lib. 1, cap. 29. — <sup>3</sup> Confess., lib. 1, cap. 16, n. 26. — <sup>4</sup> Instit. theol., part. 7, diss. 4, qu. 1, cap. 6, art. 3, § 2, qu. 2. — <sup>5</sup> Decal., cap. 1,

art. 1, punct. 3, § 2, concl. 2. — <sup>6</sup> Histor. eccl., saec. XVI, colloq. 6, i. f. — <sup>7</sup> Tr. de Fide, etc., cap. 4, qu. 9. — <sup>8</sup> Act. concil. Chalcedon., part. 3, cap. 12 et cap. 19. Cfr. 1. *Quicumque* 8, C. de Haeret. et Manich. — <sup>9</sup> Edict. Wormat. 1521, apud Petram, in constit. Gelasii *Valde*, sect. un., n. 8.

12. - <sup>a)</sup> Aliquot ex his AA. dicunt id jure naturae prohiberi: quibus verbis satis innunt ne cum licentia quidem Pontificis lectionem ejusmodi librorum, in casu enuntiato licere.

<sup>b)</sup> Silvii verba, in *2am 2ae, qu. 11, art. 3, quaer. 6, concl. 2*, haec sunt: «Rudes et in theologia tenuiter instructi, quales fere sunt omnes, qui duobus aut tribus annis theologiae

studuerunt, non sine gravi peccato legere possunt istiusmodi libros, etiamsi nulla esset lex ecclesiastica». Et sic etiam a Cont. Tournely, *l. c.*, Silvius allegatur.

<sup>c)</sup> Theodosius, in 1. *Decere*, §. 1, C. de SS. *Trinitate*, sic loquitur: «Omnia enim provocantia Deum ad iracundiam scripta, et pias mentes offendentia, ne ad aures quidem hominum venire volumus».